



PROPRIUM MISSARUM
IN USUM ECCLESiarUM
UNITARUM DIOECESION
TERGESTINÆ ET IUSTINOPOLITANÆ.



RATISBONÆ.
EX OFFICINA FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ ET S. RIT. CONGR. TYPOGRAPHI.
MDCCXCVI.



PROPRIUM MISSARUM

IN USUM ECCLESiarUM UNITARUM DICESEON

TERGESTINÆ ET IUSTINOPOLITANÆ.

FESTA NOVEMBRIS.

Die 27. Novembris.

S. Valeriani Episc. Conf.

Missa. Sacerdotes tui. de Comm.
Conf. Pont. 2. loco.

Die 29. Novembris.

S. Mauri Mart.

Missa. In virtute. de Comm. unius
Mart. non Pont. cum Evangel. Si
quis vult. ex Missa. Sacerdotes. de
Comm. unius Mart. Pont.

Et fit commem. Vigil. ac S. Satur-
nini Mart.

FESTA DECEMBRIS.

Die 2. Decembris.

S. Chromatii Episc. Conf.

Missa. Sacerdotes tui. de Comm.
Conf. Pont. 2. loco.

Evangel. Vos estis sal terræ. ex
Missa. In medio. de Comm. Doct.

Die 4. Decembris.

S. Barbaræ Virg. Mart.

Missa. Loquēbar. de Comm. Virg.
Mart. præter Orat. sequ.

Oratio.

Intercēssio, quæsumus Dómine,
beátæ Bárbaræ
tyris tuæ ab omni nos adversitate
prótegat: ut per ejus intervētum,

gloriosíssimum sacrosánci Córpo-
ris et Sanguinis Dómini nostri Jesu
Christi Sacraméntum ante diem
éxitus nostri per veram pœnitén-
tiam et puram confessiónem percí-
pere mereámur: Qui tecum vivit
et regnat.

Die 6. Decembris.

S. Apollinaris Mart. Terg.

Missa. In virtute. de Comm. unius
Mart. non Pont.

Oratio.

Propitiare, quæsumus Dómine,
nobis indígnis fámulis tuis,
per sancti Apollínaris Mártyris tui
mérita gloriósa: ut ejus pia inter-
cessióne ab ómnibus protegámur
advérsis. Per Dóminum.

Evangel. Si quis venit. ex Missa.
Státuit. de Communi unius Mart.
Pont. 1. loco.

Die 14. Decembris.

S. Spiridionis Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf.
Pont. 1. loco.

Et fit commem. Oct. ac Feriæ.

Die 17. Decembris.

S. Lazari Resuscitati Episc. Pont.

Missa. Sacerdotes tui. de Comm.
Conf. Pont. cum Evangelio. Erat
quidam languens. ut in Feria VI.
post Domin. IV. Quadrag.

Communio. Joan. 11. Videns Dóminus flentes soróres Lázari ad monuméntum, lacrymátus est coram Judæis, et exclamávit: Lázare, veni foras: et pródiit ligátis máribus, et pédibus, qui fúerat quatríduánus mórtuus.

Die 23. Decembris.

S. Silvestri Abbatis Conf.

Missa et Orationes propriæ ut in Missali, die 26. Nov.

Die 26. Decembris.

Commemoratio

Omnium Sanctorum Martyrum.

Oratio. Deus, qui glorificáris. ut inter festa pro aliqu. loc. ult. loco.

Die 30. Decembris.

S. Nicephori Martyris.

Missa. In virtúte tua. de Comm. unius Mart. non Pont.

Evangel. Si quis vult. ex Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. Mart. Pont. 2. loco.

FESTA FEBRUARII.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episcopi et Mart.

Introitus. Eccli. 45.

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis et princípem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto, Dómine, David, et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Blásium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, in suis perferédis suppliciis, et in aliórum depellédis infirmitátibus

admirábilem effecísti: concéde propítius; ut illíus et in fide constántiam imitémur, et in perículis patrocínia sentiámus. Per Dñm.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli.

Cap. 1.

Caríssimi: Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet coronam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. Nemo cum tentátur, dicat, quóniam a Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum est: ipse autem néminem tentat. Unusquisque vero tentátur a concupiscéntia sua abstractus et illéctus. Deínde concupiscéntia, cum concéperit, parit peccátum: peccátum vero, cum consummátum fúerit, génerat mortem. Nolíte itaque erráre, fratres mei dilectíssimi. Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim génuít nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ ejus.

Graduale. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Tu es Sacerdos in ætérnum secúndum órđinem Melchisedech, allelúja.

Post Septuages. omissis Allelúja, et ℣. sequenti, dicitur

Tractus: Ps. 20. Desidérium animæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórū ejus non fraudásti eum.

V. Quóniam prævenísti eum in benedictionibus dulcédinis.

V. Posuísti in cápite ejus coronam de lápide pretióso.



Sequéntia sancti Evangélii secúndū Matthæum. Matth. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israël, donec véniat fílius hóminis. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dómimum suum. Súfficit discipulo, ut sit sicut magíster ejus: et servo sicut dómínus ejus. Si patrem familias Beélzebub vocavérunt: quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuéritis eos. Nihil enim est opértum, quod non revelábitur, et ocúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis

et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, beáti Blásii Mártiris tui atque Pontíficis dicátas méritis, benígnus asúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dñm.

Communio. Ibid. Semel jurávi in sancto meo: semen ejus in ætérnum manébit: et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfectá in ætérnum: et testis in cœlo fidélis.

Postcommunio.

Refécti participatióne múnis sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Blásio Mártire tuo atque Pontífice, sentiámus effectum. Per Dóminum.

Die 12. Februarii.

S. Severini Abbatis.

Missa. Os justi. de Comm. Abbat.

Die 13. Februarii.

Beatæ Eustochii Virg.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. præter Orationes sequ.

Oratio.

Omnípotens ætérne Deus, qui beátam Eustóchium, Virginem tuam, advérsus potestátes tenebrarum admirábili virtúte et invicta patiéntia roborásti: ejus méritis et

bólica nequítia liberáti, secúra tibi mente serviámus. Per Dñm.

Secreta.

Hujus, quæsumus Dómine, virtúte mystérii, per quam antiqui hostis vires contrivísti: intercedénte beáta Eustóchio Virgine tua, cui de illo victóriam contulísti, cunctos a fámulis tuis diabólicos incúrsus repélle. Per Dóminum.

Postcommunio.

Confirmet nos, Dómine, qua pastisumus, mensa cœlestis: ut beátæ Eustochii exémpis instrúcti, et præsídiis adjúti, cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dñm.

Die 14. Februarii.

S. Valentini Presb. et Mart.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beáti Valentíni Mártiris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus ejus intercessióne liberémur. Per Dñm.

Secreta.

Oblátis, quæsumus Dómine, placáre munéribus: et intercedénte beáto Valentíno Mártire tuo, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Si hoc festum inciderit in fer. III. post Dom. I. Quadrag., loco Secretæ præsentis dicitur sequens:

Secreta.

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitate defértur. Per Dóminum.

Postcommunio.

S reparátio mentis et córporis coeléstæ mystérium: ut, cujus exséquimur actiõem, intercedénte beáto Valentíno Mártire tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 15. Februarii.

S. Juliani Martyris.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont. præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Juliánum Mártirem tuum, virtúte constántiæ in passióne roborásti: ex ejus nobis imitatióne tribue pro amóre tuo próspéra mundi despícere, et nulla ejus advérsa formid re. Per Dóminum.

Deinde fit commem. Ss. Faustini et Soc. Mm. ut in Missali, et Feriæ in Quadrag.

Evang. Nihil est opértum. ex Missa Lætábitur. de eodem Comm.

Die 16. Februarii.

S. Julianæ Virg. Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. Mart 1. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut qui beátæ Juliánæ Virgini et Mártiris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

II. et III. Orat. ut in Dom. præc.

Die 17. Februarii.

S. Paulini Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont.

Die 18. Februarii.

S. Ildephonsi Episc. Conf.

Missa. In médio. de Comm. Doct. præter Orat. sequentes.

Oratio.

Exáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Ildephónsi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitate deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dñm.

Comm. S. Simeonis ut in Missali.

Secreta.

Sancti Ildephónsi Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis officia, et illum be-

áta retribútio comitétur, et nobis grátiae tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Ildephónsi Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Die 19. Februarii.

S. Conradi Placent. Conf.

Missa. Justus. de Comuni Conf. non Pont. 2. loco.

Evang. Ecce nos reliquimus ómnia. ut in Missa de Abbat. Et fit comm. S. Victoris Mart. ex Missa. Lætábitur Justus.

Die 20. Februarii.

Ss. Viginti sex Martyr. Japonens.

(D. f. 5. Februarii.)

Missa et Orat. propriæ ut inter festa pro aliqu. locis die 5. hujus.

Die 21. Februarii.

S. Maximiani Archiep. Rav. C.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 26. Februarii.

S. Walburgæ Virginis.

Missa. Dilexisti. de Comm. Virg. præter Orat. sequi.

Oratio.

Deus, qui inter innúmera grátiae tuæ dona, étiam in sexu femíneo tua operáris magnália: concéde propítius; ut beátæ Walbúrgæ Virgínis tuæ apud misericórdiam tuam patrocínia sentiámus, cujus et castitátis illustrámur exémplic, et miraculórum glória jucundámur. Per Dóminum.

Die 27. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona.

Introitus. Ps. 118.



agnóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me; confige timóre tuo carne tuis tímui.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

V. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui fámulam tuam Margarítam de perditionis via ad salutis tráitem misericórditer deduxísti: eádem nobis miseratióne concéde; ut quam prius errántem sectári non erubúimus, mox poeniténtem ímpigre sequi gloriémur. Per Dóminum.

II. et III. Orat. ex Dom. præced.

In Quadr. comm. fer. et III. Orat. illa quæ est II. Dom. præced.

Lectio libri Sapiéntiæ. Cant. 3 et 8.

Surgam, et circuibo civitátem: per vicos et platéas quæram quem dñigit ánima mea: quæsi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem. Num quem dñigit ánima mea, vidístis? Paúlulum cum pertransíssem eos, invéni quem dñigit ánima mea: ténuí eum, nec dimíttam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ. Adjúro vos, filiæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchi-um tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulá- tio: lámpades ejus, lámpades ignis,

atque flammárum. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam: si déderit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Graduale. Ps. 44. Diffusa est grátia in lábiis tuis: propterea benedixit te Deus in ætérnum.

V. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam; et deducet te mirabiliter dextera tua.

Allelúja, allelúja.

Tractus. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

V. ibid. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ præ consórtibus tuis.

V. Spécie tua, et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.



Sequéntia sancti Evangélíi secúndū Matthæum. Matth. 13.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parabolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscondito in agro: quem qui invénit homo, abscondit, et præ gaudio illíus vadit, et vendit universa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiátóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consumatione sæculi: exsúnt Angeli, et separá-

bunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínus ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scribe doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 44. Diffusa est grátia in lábiis tuis; propterea benedixit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Secreta.

Placatiónis hóstia, quam tibi offerimus, Dómine, beátæ Margarítæ interveniéntē suffrágio, optatæ nobis indulgéntiæ plenitudinem elargiátur. Per Dóminum.

Communio. ibid. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ præ consórtibus tuis.

Postcommunio.

Uberes, Dómine, sanctæ tuæ Margarítæ lácrymæ durítem nostri cordis emólliant: ut per hujus virtutem sacraménti débitas reátibus flammās incessánti fletu exstinguámus. Per Dóminum.

Die 28. Februarii.

S. Petri Urseoli Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Petrum Ducem cœlésti regno terrénus postpónere docuísti: da nobis, quæsumus; ejus intercessióne et exémplo, terréna despícere, atque æténa sectári. Per Dóminum.

Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. ut in Missa de Abbat.

FESTA MARTII.

Die 1. Martii.

S. Titiani Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont.

II. et III. Oratio, ut in Domin. præced.

Die 3. Martii.

S. Chunegundis Virg.

Missa. Vultum tuum. de Comm. Virg. non Mart. 2. loco, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátæ Chunegúndi, Virgini tuæ, terréna despícere et ad cœléstis impérii culmen anheláre tribuísti: concéde, quæsumus; ut ejus imitatione, calcátis mundi illécebris, ad gáudia æténa secúri perveníre valeámus. Per Dñm.

Die 16. Martii.

Ss. Hilarii Episc. et **Tatiani** Diac. Martyrum.

Missa. Intret. de Comm. plurim. Mart. 1. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Beatórum Mátyrum Hiláarii Epíscopi, et Tatíani Diaconi nos, quæsumus Dómine, festa tueántur: et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriæ.

FESTA APRILIS.

Die 3. Aprilis.

S. Abundii Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 12. Aprilis.

S. Lazari Mart. Civ. Terg. Patr.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont. cum Evangel. Si quis vult. ex Missa. Sacerdótes.

Oratio.

Quæsumus, omnípotens Deus: ut ánnua gloriósi Mátyris tui Lázari solemnitáte gaudéntes; ejus précibus et intercessióne placátus, gáudiis nos fácias pérfrui sempitérnis. Per Dóminum.

Temp. Pasch. Missa. Protexísti. Secreta et Postcommunio 3. loco.

Die 15. Aprilis.

S. Zenonis Episc. Mart.

Missa. Sacerdótes. de Communi unius Mart. Pont. cum Evang. Si quis venit. ex Missa. Státuit.

Temp. Pasch. Missa. Protexísti. cum Orationibus 2. loco.

Die 17. Aprilis.

S. Liberalis Confessoris.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Liberális Confessóris tui glorióso patrocínio circúmdas et prótegis: concéde propítius; ut cujus intercessióne munímur in terris, ejus quoque consórtio perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Comm. S. Aniceti ex Missali.

Die 19. Aprilis.

S. Leonis IX. Papæ Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter Orat sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Leónem Pontíficem Sanctorum tuorum méritis coæquasti: concède propitius; ut qui commemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exémpa. Per Dóminum.

Secreta.

Annue nobis, quæsumus Dómine: ut intercessióne beáti Leónis hæc nobis prosit oblátio, quam immolándo, totius mundi tribuisti relaxári delicta. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, qui animæ fámuli tui Leónis, æternæ beatitúdinis præmia contulisti: concède propitius; ut qui peccatorum nostrorum pónere prémur, ejus apud te precibus sublevémur. Per Dóminum.

Die 20. Aprilis.

S. Justini Martyris.

Missa. Protexisti. de Comm. Mart. temp. Pasch. Orationes 3. loco.

Die 24. Aprilis.

S. Adalberti Episc. Mart.

Missa. Protexisti. de Communi. Epist. Omne gáudium. ante eamd. Missam, et Orationes sequi.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hodiérna die beátum Adalbértum Mártirem tuum atque Pontíficem, mérito passiónis Sanctis tuis sociáre dignátus es: tribue quæsumus; ut per ejus exémpa ad pátriam perveniámus ætérnam. Per Dñm.

Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, beáti Adalbérti Mártiris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tribue proveníre subsídium. Per Dñm.

Postcommunio.

Beáti Adalbérti Mártiris atque Pontíficis intercessióne, Dómine, placátus: præsta quæsumus; ut quæ temporáli celebrámus actióne, perpétua salvatióne capiámus. Per Dóminum.

Die 27. Aprilis.

S. Peregrini Latiosi Conf.

Missa. Justus. de Communi Conf. non Pont. præter Orat. sequi.

Oratio.

Deus, qui beáto Peregrino Angelum cómitem, magístram Deiparam, Jesum tetri úlceris médicum mire dedisti: da per mérita ipsius, obsecrámus; ut sanctum Angelum, Vírginem, Salvátorem singuláriter et amémus in terris, et collaudémus in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Dominica II. post Pascha.

B. Mariæ V. de Gratia.

Introitus. Ps. 44.



Ultum. tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exultatióne, allelúja, allelúja.

Ps. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. V. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui humano géneri beatæ Mariæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulisti: concède; ut quam grátiae matrem appellámus in terris; ejus felíci consórtio perénriter perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit commem. Domin.

Lectio libri Sapiéntiæ. Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitatem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupiscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúja, allelúja.

V. Post partum, Virgo invioláta permansísti: Dei Génitrix, intercède pro nobis. Allelúja.

V. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélíi secúndum Lucam. Luc. 1.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitatem Galiléæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingrèssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries filium, et

vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit filium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancilla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Credo.

Offertorium. Luc. 1. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui, allelúja.

Secreta.

Tua, Dómine, propitiátione, et beátæ Mariæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præsentem hæc oblátio nobis proficiat prosperitatem et pacem. Per Dóminum.

Præfatio. Et te in Festivitate.

Communio. Beáta viscera Mariæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium, allelúja.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salutis nostræ subsidiis: da, quæsumus, beátæ Mariæ semper Vírginis patrocíniis nos ubique prótegi; in cujus veneratiónem hæc tuæ obtúlimus maiestati. Per Dóminum.

FESTA MAJI.

Die 4. Maji.

S. Floriani Martyris.

Missa. Protexísti. Orationes 3. loco.
Extra temp. Pasch. Missa. In virtúte. de Coñ. unius Mart. non Pont.

Die 11. Maji.

S. Alexandri I. Pap. Mart.

Missa. Protexísti. Orat. 1. loco.
Extra temp. Pasch. Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont. In civit. Iustinop. dicit. Credo.

Die 15. Maji.

S. Sigismundi Martyris.

Missa. Protexísti. Orat. 3. loco.
Extra temp. pasch. Missa. In virtúte. cum Evang. Si quis venit.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Missa. Dedit mihi Dóminus. ut inter festa pro aliqu. locis, eadem die, ultimo loco.

Die 24. Maji.

S. Servuli Mart. Terg.

Missa. Protexísti. præter Orat. sequ. Secreta et Postcomm. 3. loco.

Oratio.

Deus, cui servíre regnáre est: præsta quæsumus; ut, intercessióne beáti Sérvuli Mártiris tui, tibi júgiter famulánte, pátriæ cœléstis gaúdiis perfruámur. Per Dñm.

Extra temp. pasch. Missa. In virtúte. cum Evang. Si quis venit.

In Cathedr. Tergest. dicit. Credo.

Die 30. Maji.

Inventio Manus S. Stephani Regis Confessoris.

Introitus. Ps. 72.

Ienuísti manum dexteram meam et in voluntáte tua deduxísti me, et cum glória suscepísti me.

Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénium et paúperem; in die mala liberábit eum Dóminus.

V. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui es sanctórum tuórum splendor mirábilis, quique hodiérna die beáti Stéphaní Regis et Confessoris tui gloriósam dexteram revelásti; da nobis fámulis tuis, de ejus semper protectióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Felicis Pap. Mart. Orationes ex Missa. Státuit.

Léctio libri Tobíæ. Tob. 4.

Omnibus diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum, et cave, ne aliquándo peccáto conséntias, et prætermíttas præcépta Dómini Dei nostri. Ex substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere faciém tuam ab ullo paúpere; ita enim fiet, ut nec a te avertátur fácies Dómini. Quómodo potúeris, ita esto miséricors. Si multum tibi fúerit, abundánte tribue; si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libénter impertíri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis, quóniam eleemósyna ab omni peccáto et a morte liberat, et non patiétur ánimam ire in ténebras. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam.

Graduale. Is. 58. Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam. Cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Allelúja, allelúja.

℣. Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et glória Dómini cólliget te. Allelúja.

Temp. pasch. omisso Graduali, dicitur: Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénum et paúperem, in die mala liberábit eum Dóminus. Allelúja.

℣. Ps. 36. Tota die miserétur et cómodat: semen illíus in benedictióne erit. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélíi secúndum Lucam. Luc. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusillus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidéti, et date eleemósy-
nam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesaúrum non deficientem in cœlis: quo fur non apprópiat, neque tinea corrúmpit. Ubi enim thesaúrus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltábitur in glória.

Secreta.

Mvotiónis offérimus, quæ et pro sancti Stéphaní Regis, et Confessóris tui, tibi grata sint honóre, et nobis salutária, te miseránte redántur. Per Dóminum.

Communio. Qui administrat semen seminánti, et panem ad manducán-

dum præstábit, et augébit incrementa frugum justítiæ vestræ.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, cœlestia Sacraménta, beáti Stéphaní Regis, et Confessóris tui solémnia celebrántes: præsta quæsumus; ut ipso intercedénte, quod temporáliter gessimus, ætérnis gaúdiis consequámur. Per Dóminum.

Die 31. Maji.

Ss. Cantiani et Socior. Martyrum.

Extra temp. pasch. Missa. Sapiéntiam. de Comm. præter sequi.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut pópulus tuus ad plenæ devotiónis afféctum beatórum Mártirum Cantiani et Sociórum ejus natalítiis præparétur; et eórum patrocinio promerénte, beátæ cápiat securitátis augméntum. Per Dñm.

Et fit commem. S. Petronillæ.

Graduale. Ps. 123. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium.

℣. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus: adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum et terram.

Allelúja, allelúja.

℣. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit mundi crimina: Christum secúta est, ínclýta tenens regna cœlestia. Allelúja.

Secreta.

His, quæsumus Dómine, munéribus inténde placátus, et tríbue supplicatióne beatórum Mártirum tuórum Cantiani et Sociórum ejus nos a peccátis ómnibus absólvi, et cœlesti grátia ditári. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refécti vitálibus alimóniis, quæsumus, Dómine Deus noster; ut, intercedéntibus Sanctis tuis Cantiano et Sóciis ejus, quod ore sumpsimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Temp. pasch. Missa. Sancti tui, 2. loco. Orationes ut supra.

FESTA JUNII.

Die 1. Junii.

S. Gaudentii Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiám tuam beáti Gaudéntii Confessóris tui atque Pontíficis virtútum splendóre illustráre atque válido patrocínio communíre disposuísti: ejus nobis intercessióne concéde; ut, quæ tibi sunt plácita júgiter exsequéntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Per Dóminum.

Evang. Cum persequéntur vos. ut in Festo S. Cyrilli Ep. Hieros.

Die 4. Junii.

S. Quirini Episc. Mart.

Missa. Státuit. de Communi unius Martyris.

Temp. pasch. Missa. Protexísti. Orationes 1. loco.

Die 7. Junii.

S. Bertrandi Patriarch. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Bertrándum pro Ecclésiæ tuæ júribus ad mortem usque certántem invícta pa-

storáli fortitúdone roborásti: præsta fidélibus tuis; ut ad pietátis et reli-giónis constántiam ejúsdem infor-méntur exémpis. Per Dóminum.

Secreta.

Sacra dona, quæ tibi, Dómine, reverénter offérimus in commemoratióne beáti Bertrándi, Ecclésiæ tuæ libertátem tueántur et pacem; et sanctificatiónis nostræ incrementa promóveant. Per Dñm.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut in honórem beáti Bertrándi celebráta mystéria; ejus virtútum imitatóres, et tua propitiatióne nos dignos efficiant. Per Dóminum.

Die 18. Junii.

B. Gregorii Barbadici Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Gregórium Confessórem tuum atque Pontíficem pastoráli sollicitúdone, et paúperum miseratióne claréscere voluísti: concéde propítius; ut cujus mérita celebrámus, caritátis imitémur exémpa. Per Dóminum.

Et fit commem. Ss. Marci et Marcelliani Mart. ut in Missali.

Secreta.

Obláta tibi, Dómine, sacri dona mystérii beáti Gregórii méritis ac suffrágiis accépta reddántur, et plenum operéntur in nobis divínæ virtútis efféctum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: ut sicut beáto Gregório Confessóri tuo atque Pontífici, divíni

Pastóris formam imitári tribuísti; ita nos ejus imitatione dignos efficias, qui inter oves páscae tuæ perpétuo collocémur. Per Dóminum.

Die 19. Junii.

S. Nazarii Ep. Just. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont.

In Diœc. Just. Credo. per totam Octav.

In Diœc. Terg. omissio Credo. fit commem. Ss. Mm. Gervasii et Protasii ut in Missali.

Die 27. Junii.

Apparitionis S. Justi Mart.

Missa. In virtúte. sicut die 2. Nov. præter Orat. sequ.

Oratio.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus: ut qui beáti Justi Mátyris tui Apparitiónem cólimus; intercessióne ejus in tui nóminis amore roborémur. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. S. Joan. Bapt.

Die 29. Junii.

Commemoratio

Omnium Sanctorum Apostolorum.

Facienda in Missa de Ss. Apost. Petro et Paulo.

Oratio. Exaúdi nos. ut inter festa pro aliqu. locis, eadem die, ultimo loco.

Fer. VI. post Oct. Ss. Corpor. Christi.

Ss. Cordis Jesu.

Missa. Egredimini. ut inter festa pro aliqu. locis, eadem Feria.

FESTA JULII.

Die 3. Julii.

S. Vigili

Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. cum Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui hunc diem, beáti Vigili Mátyris tui atque Pontíficis sángine consecrásti: da quæsumus; ut ejus méritis ab ómnibus muniámur advérsis, et æternæ vitæ præmia consequámur. Per Dñm.

Die 4. Julii.

S. Udalrici Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Comm. Oct. et III. Orat. Concède.

Die 12. Julii.

Ss. Hermagoræ et Fortunati Mm.

Missa. Intret. de Comm. plurim. Mart. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos hodiérna die beatorum Mátyrum tuorum Hermagoræ et Fortunati múltiplici facis celebritáte gaudere: tribue, quæsumus; eórum nos semper piis defensionibus muníri, et orationibus adjuvári. Per Dóminum.

Et fit commem. Ss. Naboris et Felicis Mm. ut in Missali.

Secreta.

Múnera humilitátis nostræ, quæ pro sanctorum Mátyrum tuorum Hermagoræ et Fortunati gloriósa passióne et solemnitate offérimus, quæsumus, Dómine, cleméntiam tuam, respícere dignáre; et ipsórum intercessióne, tam ad profectum vitæ, quam animæ, salutária nobis consuéta miseratióne proveníre concède. Per Dóminum.

Postcommunio.

Suméntes, Dómine, cœléstis dona mystérii: quæsumus; ut sanctórum tuórum Hermágoræ et Fortunáti adjuvémur méritis, quorum solemnitátem celebrámus. Per Dñm.

Die 13. Julii.

Ss. Zenonis et Justinæ Mm. Tergest.

Missa. Sapiéntiam. de Comuni plurim. Mart. non Pont.

Die 15. Julii.

Divisionis duodecim Apostolorum.

Introitus. Ps. 88.



Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die, et in justítia tua exaltabúntur, quóniam glória virtútis eórum tu es.

Ps. 46. Omnes gentes, plaúдите mánibus; jubiláte Deo in voce exsultatiónis. V. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die in omnem terram tuóru verba Apostolórum ad géntium vocatióem exíre fecísti: da nobis, quæsumus; et fide et ópere eórum serváre vestigia, quorum doctrínis sanctæ Ecclésiæ cónstitit órigo. Per Dñm.

Lectio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 10.

Fratres: Corde enim créditur ad justítiam: ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distinctio Judæi, et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo in-

vocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem audient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? sicut scriptum est: Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Graduale. Ps. 41. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémoires erunt nóminis tui, Dómine.

V. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii; proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja.

V. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est príncipátus eórum. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte edéntes et bibéntes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transfíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et

suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis, et curáte infirmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei. In quamcúmque autem civitátem intravéritis, et non suscepérint vos, exeúntes in platéas ejus dícite: Etiam púlverem, qui adhæsit nobis de civitáte vestra, extérgimus in vos: tamen hoc scitóte, quia appropinquávit regnum Dei. Credo.

Offertorium. Luc. 10. Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

Secreta.

Perpétuam, Dómine, sanctorum Apostolorum glóriam venerántes, quæsumus: ut ea, sacris mysteriis expiáti, dignius semper celebráre valeámus. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Isaïæ 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiántis, et prædicántis pacem: annuntiántis bonum, prædicántis salutem, dicéntis Sion: Regnabit Deus tuus.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine, Sacraméntis, suppliciter exorámus: ut intercedéntibus beátis Apóstolis tuis; ad medélam nobis proficiant, quæ pro illorum veneránda gérimus solemnitate. Per Dóminum.

Die 18. Julii.

B. Elii Diaconi Conf.

Missa. Justus. de Communi Conf. non Pont.

Et fit comm. Ss. Mm. ut in Miss.

In Civit. Iustinop. Credo.

Die 21. Julii.

S. Danielis Proph. Conf.

Introitus. Ps. 118. Iniquébar de testimoniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar, et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini.

V. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Daniélis Confessoris tui ánnua solemnitate lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dñm.

Et fit comm. S. Praxedis Virg.

Léctio Daniélis Prophétæ. Dan. 14.

IN diébus illis: Congregáti sunt Babylónii ad regem, et dixerunt ei: Trade nobis Daniélem, qui Bel destrúxit, et draconem interfécit; alióquin interficiémus te, et domum tuam. Vidit ergo rex quod irrúerent in eum veheménter, et necessitate compúlsus trádidit eis Daniélem. Qui misérunt eum in lacum leónum, et erat ibi diébus sex. Porro in lacu erant leónes septem, et dabántur eis duo córpora quotidie, et duæ oves: et tunc non data sunt eis, ut devorárent Daniélem. Erant autem Hábacuc Prophéta in Judæa, et ipse cóxerat pulméntum, et intríverat panes in alvéolo, et ibat in campum, ut ferret messóribus. Dixítque Angelus Dómini ad Hábacuc: Fer prándium, quod habes, in Babylónem Daniéli, qui est in lacu leónum. Et dixit Hábacuc: Dómine, Babylónem non vidi, et lacum néscio. Et apprehéndit eum Angelus

Dómini in vértice ejus, et portávit eum capíllo cápitis sui, posuítque eum in Babylónem supra lacum in ímpetu spíritus sui. Et clamávit Hábacuc, dicens: Dániel, serve Dei, tolle prándium, quod misit tibi Deus. Et ait Dániel: Recordátus es mei, Deus, et non dereliquísti diligéntes te. Surgénsque Dániel cómedit. Porro Angelus Dómini restítuit Hábacuc conféstim in loco suo. Venit ergo rex die séptimo, ut lúgeret Daniélem: et venit ad lacum, et introspéxit, et ecce Dániel sedens in médio leónum. Et exclamávit voce magna rex, dicens: Magnus es, Dómine Deus Daniélis! Et extráxit eum de lacu leónum. Porro illos, qui perditionis ejus causa fúerant, intrómisit in lacum, et devoráti sunt in moménto coram eo. Tunc rex ait: Páveant omnes habitántes in univérsa terra Deum Daniélis, quia ipse est Salvátor, fáciens signa, et mirabília in terra; qui liberávit Daniélem de lacu leónum.

Graduale. Ps. 41. Justus, ut palma florébit; sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

℣. Beátus vir, qui suffert tentatió-nem; quóniam, cum probátus fúerit, accipiet corónam vitæ. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélíi scúndū Matthæum. Matth. 24.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum vidéritis abominatió-nem desolatió-nis, quæ dicta est a Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto; qui legit, intélligat.

Tunc qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes; et qui in tecto, non descéndat tollere áliquíd de domo sua; et qui in agro, non revertátur tollere túnica-m suam. Væ autem prægnántibus, et nutriéntibus in illis diébus. Oráte autem, ut non fiat fuga vestra in hiéme, vel sábbato. Erit enim tunc tribuláti-o magna, qualis non fuit ab inítio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviáti fuissent dies illi, non fíeret salva omnis caro: sed propter eléctos brevibúntur dies illi. Tunc si quis vobis díxerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolíte crédere. Surgent enim pseudochrísti et pseudoprophétæ, et dabunt signa magna et prodígia, ita ut in errórem inducántur (si fieri potest) étiam elécti. Ecce prædíxi vobis. Si ergo díxerint vobis: Ecce in desérto est; nolíte exíre: ecce in penetrálibus; nolíte crédere. Sicut enim fulgur exit ab Oriénte, et paret usque in Occidéntem: ita erit adventus Fílii hóminis. Ubicúmque fúerit corpus, illic congregabúntur et áquilæ. Statim autem post tribulatió-nem diérum illórum sol obscurábitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtútes cœlórum commovebúntur; et tunc parébit signum Fílii hóminis in cœlo; et tunc plangent omnes tribus terræ, et vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli cum virtúte multa et majestáte. Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna; et congregábunt eléctos ejus a quátuor ventis, a summis cœlórum usque ad términos eórum. Ab árbore autem fici díscite parábolam: cum jam ramus ejus tener fúerit, et fólia nata, scitis, quia prope est æstas; ita et vos,

cum vidéritis hæc ómnia, scitóte, quia prope est in jánuis. Amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia hæc fiant. Cælum et terra transíbunt; verba autem mea non præteríbunt.

Offertorium. Dan. 9. Orávi Deum meum ego Dániel, dicens: Exaúdi, Dómine, preces servi tui: illúmina fáciem tuam super sanctuárium tuum, et propítius inténde pópulum istum, super quem invocátum est nomen tuum, Deus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum, quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: Amen dico vobis, super ómnia bona sua constitúet eum.

Postcommunio.

Refécti cibo, potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus; ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 27. Julii.

S. Pantaleonis Martyris.

Missa. Lætábitur. de Comm. unius Mart. non Pont. 2. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Pantaleónem Mártýrem tuum vária tormenta superáre fecísti, et pro persecutóribus exoráre: concéde propítius; ut qui ejus implorámus auxílium, misericórdiæ tuæ sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Dominica III. Julii.

Ss. Redemptoris.

Ut inter festa pro aliquibus locis hac die vel 23. Octobris.

FESTA AUGUSTI.

Die 11. Augusti.

S. Emygdii Episc. et Mart.

Missa. Commóta est. ut inter festa pro aliqu. locis, die 9. hujus.

Die 26. Augusti.

B. Petri Acotanto Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, cum Orat. sequ. et Evang. Nolíte timére. ex Missa Justus. de eodem Comm. 2. loco.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, veræ caritátis exémpplar, qui beátum Petrum Confessórem tuum terrénas divítias per manus paúperum in cœléstes thesaúros deportáre docuísti: da nobis fámulis tuis; ut per ejus vestigia gradiétes, ad promíssa misericórdibus præmia pervénire valeámus. Qui vivis.

Et fit comm. S. Zephyr. Pap. M.

Dominica I. mens. Augusti.

Ss. Reliquiarum Unit. Diœc.

Missa. Sapiéntiam. de Comuni plurim. Mart. 2. loco, præter Orat. sequentem.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiόνis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortalis glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum.

FESTA SEPTEMBRIS.

Die 1. Septembris.

S. Pelagii Martyris.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont.

Evangel. Si quis venit. ex Missa. Státuit.

Omissa commem. S. Ægydii, fit commem. Ss. XII Fr. Min. ut in Missali.

Die 3. Septembris.

Ss. Euphemíæ et Soc. Virg. Mart.

Introitus. Ps. 118.



EXspectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummationis vidi finem: latum mandátum tuum nimis.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

V. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, miséricors Deus, sanctis Virgínibus et Martýribus tuis Euphémiá, Doróthea, Thecla et Erásma intercedéntibus, cœlestis grátiae abundántiam: ut eárum pássio celebráta præséntis vitæ subsidium cónferat, et æternæ. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. I. Cor. 7.

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutióem. Solútus

es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatióem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollicitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múluer innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta corpore et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 45. Adjuvábít eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur.

V. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja.

V. Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndū Matthæum. Matth. 19.

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum Pharisæi tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Qui respóndens, ait eis: Non legístis, quia qui fecit hóminem ab inítio, másculum et féminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimíttet

homo patrem et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una? Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandávit dare libéllum repúdií, et dímittere? Ait illis: Quóniam Moyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dímittere uxóres vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dímisert uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, et áliam dúxerit, mœchátur: et qui dímissam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt: et sunt ennúchi, qui facti sunt ab homínibus: et sunt eunúchi, qui seípso castravérunt propter regnum coelórum. Qui potest cápere, cápiat.

Offertorium. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: propterea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sáeculum sáeculi.

Secreta.

Inténde, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mátyrum tuárum Euphémiæ, Dorótheæ, Theclæ et Erásmæ festivitáte propósita: ut sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti; ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Communio. Ps. 118. Feci judícium et justítiam, Dómine, non calumnién-
tur mihi supérbi: ad ómnia mandáta tua dirigébar, omnem viam iniquitátis ódio hábui.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Mátyribus tuis: ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 7. Septembris.

S. Samuelis Proph. Conf.

Introitus. Ps. 98.



Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est: Móyses, et Aaron in sacerdotibus ejus: et Sámuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Ps. ibid. Dóminus regnávit, irascántur pópuli: qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

¶ Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Samuëlem spíritu prophetiæ adimplére dignátus es, quique eum in templo tuo tibi digne ministráre fecísti: concéde propítius; ut qui ejus hódie solémnia cólimus, ipsíus exémpia sequéntes ad te perveníre mereámur. Per Dñm.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 46.

Diléctus a Dómino Deo suo Sámuel Prophéta Dómini, renovávit impérium, et unxit príncipes in gente sua. In lege Dómini congregatiónem judicávit, et vidit Deus Jacob, et in fide sua probátus est prophéta. Et cógnitus est in verbis suis fidélis, quia vidit Deum lucis. Et invocávit Dóminum omnipoténtem, in oppugnándo hostes circumstántes úndique, in oblatióne agni invioláti. Et intónuit de cælo Dóminus, et in sónitu magno audítam

fecit vocem suam, et contrivit principes Tyriórum, et omnes duces Philisthiim. Et ante tempus finis vitæ suæ et sæculi, testimónium præbuit in conspéctu Dómini et Christi: pecúnias et usque ad calceaménta ab omni carne non accépit, et non accusávit illum homo. Et post hoc dormívit, et notum fecit regi, et osténdit illi finem vitæ suæ, et exaltávit vocem suam de terra in prophetía delére impietátem gentis.

Graduale. Luc. 1. Locútus est per os Sanctórum, qui a sæculo sunt, Prophetárum ejus.

℣. ibid. Benedíctus Dóminus Deus Israël, quia visitávit et fecit redemptionem plebis suæ.

Allelúja, allelúja.

℣. Te prophetárum venerábilis númerus laudat, Dómine, allelúja.



Sequéntia sancti Evangélíi secúndum Lucam. Luc. 19.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatióem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnare super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens

super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dixit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur, et abundabit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium. 1. Reg. 3. Crevit autem Sámuel, et Dóminus erat cum eo, et non cécidit ex ómnibus verbis ejus in terram.

Secreta.

Deus, qui beátum Samuëlem Prophétam, sacerdotem fidélem et minístrum tuum eligere voluísti: súscipe hæc múnera, quæ in ejus tibi solemnitate deférimus, et præsta; ut per hæc ab omni inquinaménto carnis et spíritus mundáti, digne tibi ministrare possimus. Per Dóminum.

Communio. 1. Reg. 7. Tulit autem Sámuel agnum lactántem unum, et obtulit illum holocaústum íntegrum Dómino: et clamávit Sámuel ad Dóminum pro Israël, et exaudivit eum Dóminus.

Postcommunio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui per beátum Samuélem Prophétam sacerdotem tuum tibi sacrificium offérri voluísti: concéde nobis múnieris coeléstis efféctum, quod in ejus commemoratióne tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Die 9. Septembris.

S. Ægidii Abbatis.

Missa. Os justi. de Comm. Abbat. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Ægidium Abbatem, erogáti in paúperes divítiis, ad erémum mira providéntia traduxísti: fac nos ejus exémplo et intercessióne cadúca despícere et sola coeléstia desideráre. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. et S. Gorgonii Mart. Credo. ratione Oct.

Die 19. Septembris.

S. Mariæ de Cervellone Virg.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos cónspicis in tot periculis constitútos pro nostra fragilitáte non posse subsistere: concéde propítius; ut intercedénte beáta María fámula tua, de præsentis vitæ flúctibus edúcti ad æternæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

Die 26. Septembris.

S. Gerardi a Sagr. Episc. Mart.

Missa. Státuit. de Comm. unius Mart. Pont. Comm. Ss. Mm. ut in Missali.

FESTA OCTOBRIS.

Die 7. Octobris.

S. Sergii Martyr. Terg.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart: non Pont. cum Orat. sequ. et Evang. Si quis vult. ut in Missa. Sacerdótes. de Comm. Mart. Pont.

Oratio.

Sancti Mártyris tui Sérgii nos, Dómine, beáta mérita prosequántur: et tuo semper fácient amóre fervéntes. Per Dóminum.

Pro S. Marco. Oratio.

Exáudi, Dómine, preces nostras: et interveniénte beáto Marco Confessóre tuo atque Pontífice, indulgéntiam nobis tríbue placátus et pacem.

Pro Ss. Martyribus. Oratio.

Deus, qui nos concédís Sanctórum Mártyrum tuórum Bacchi, Marcélli et Apuléji natalítia cólere: da nobis in æténa beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta.

Majestátem tuam nobis, Dómine, quæsumus, hæc hóstia reddat immolánda placátam, digna postulatióne Sancti tui Sérgii. Per Dóminum.

Pro S. Marco. Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium.

Pro Ss. Martyribus. Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sacraméntis, Dómine, muniámur
Saccéptis: ut sancti Mártyris tui
Sérgii intercessióne, contra omnes
nequítias irruéntes armis coeléstibus
protegámur. Per Dóminum.

Pro S. Marco. Postcommunio.

Da, quæsumus Dómine, fidélibus
pópulis Sanctórum tuórum
semper veneratióne lætári, et eórum
perpétua supplicatióne muníri.

Pro Ss. Martyribus.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dó-
mine, intercedéntibus sanctis
Martýribus tuis Baccho, Marcéllo
et Apuléjo, ut quod ore contíngi-
mus, pura mente capíamus. Per
Dóminum.

Die 8. Octobris.

S. Simeonis Prophetæ Conf.

Introitus. Ps. 36.



S justi meditábitur sapi-
éntiam, et lingua ejus lo-
quétur iudícium: lex Dei
ejus in corde ipsíus.

Ps. ibid. Noli æmulári in malignán-
tibus: neque zeláveris faciéntes in-
iquitátem. V. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus,
qui unigénitum tuum ulnis
sancti Simeónis in templo sancto
tuo suscipiéndum præsentásti: tuam
súpplices deprecámur cleméntiam;
ut eo interveniénte, in templo san-
cto glóriæ tuæ præsentári mereá-
mur. Per eúndem Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ. Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine
mácula: et qui post aurum non
ábiit, nec sperávit in pecúnia et

thesaúris. Quis est hic, et laudábi-
mus eum? fecit enim mirábilia in
vita sua. Qui probátus est in illo, et
perféctus est, erit illi glória ætér-
na: qui pótuít tránsgrédi, et non
est tránsgréssus: fácere mala, et
non fecit: ideo stabilita sunt bona
illíus. in Dómino, et eleemósynas
illíus enarrábit omnis ecclésia san-
ctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma
florébit, sicut cedrus Líbani multi-
plicábitur in domo Dómini.

V. Ad annuntiándum mane miseri-
córdiam tuam et veritátem tuam
per noctem.

Allelúja, allelúja.

V. Senex púerum portábat: puer
autem senem regébat, allelúja.



Sequéntia sancti Evangélli se-
cúndum Lucam. Luc. 2.

In illo témpore: Homo erat in Je-
rúsalem, cui nomen Símeon, et
homo iste justus et timorátus, ex-
spéctans consolatiónem Israél, et
Spíritus sanctus erat in eo. Et re-
spónsum accéperat a Spíritu sancto,
non visúrum se mortem, nisi prius
vidéret Christum Dómini. Et venit
in spíritu in templum. Et cum in-
dúcerent púerum Jesum paréntes
ejus, ut fácerent secúndum consue-
túdinem legis pro eo: et ipse accé-
pit eum in ulnas suas, et benedíxit
Deum, et dixit: Nunc dimíttis ser-
vum tuum, Dómine, secúndum ver-
bum tuum in pace: quia vidérunt
óculi mei salutáre tuum, quod pa-
rásti ante fáciem ómnium populó-
rum: lumen ad revelatiónem Gén-
tium, et glóriam plebis tuæ Israél.
Et erat pater ejus et mater mirán-
tes super his, quæ dicebántur de
illo. Et benedíxit illis Símeon, et

dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce p[ro]positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israë[li]: et in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Offertorium. Ps. 88. Veritas mea et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, D[omi]ne, hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos et presentibus exui malis confidimus, et futuris. Per D[omi]num.

Communio. Luc. 2. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum D[omi]ni.

Postcommunio.

Refecti cibo potuque coelesti, Deus noster, te supplices exoramus: ut in cujus haec commemoratione percipimus, ejus muniamur et precibus. Per D[omi]num.

Die 12. Octobris.

S. Maximiliani Episc. Mart.

Missa. Statuit. de Communi unius Mart. Pont. 1. loco, praeter Orat. sequentem.

Oratio.

Deus, qui nos beati Maximiliani Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate laetificas: concede propitius; ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per D[omi]num.

Die 16. Octobris.

S. Justinæ Virg. Mart.

Missa. Loquibar. de Comm. Virg. Mart. praeter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos annua beatae Justinæ Virginis et Martyris tuae solemnitate laetificas: da, ut quam veneramur officio, etiam pie conversationis sequamur exemplo. Per D[omi]num.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulae et Soc. Virg. Mm.

Missa. Loquibar. de Comm. Virg. Mart. cum Orat. ut in Missali et Epistola. De virginibus. ex Missa. Vultum tuum. de Com. Virg. tantum.

Die 31. Octobris.

S. Wolfgangi Episc. Conf.

Missa. Sacerdotes. de Communi Conf. Pont. praeter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nobis aeternae salutis beatum Wolfgangum Episcopum et ministrum tribuisti: praesta, quaesumus; ut quem doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Per D[omi]num.

FESTA NOVEMBRIS.

Die 2. Novembris.

(In Civit. et Territor. Tergest.)

S. Justi Mart. Terg. Patr. Princ.

Introitus. Ps. 20.



In virtute tua, D[omi]ne, laetabitur justus, et super salutare tuum exsultabit vehementer; desiderium animae ejus tribuisti ei.

Ps. ibid. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Justum Mártirem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti: concéde propítius; ut qui ejus festum hodiérna die celebrámus, ejus quoque consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 10. b.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum; in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 20. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretiósio. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélli secúndum Joáñem. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti ca-

dens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. Credo.

Offertorium. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

Munéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúque susceptis: et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Da, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur officio; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Die 6. Novembris.

S. Leonardi Confessoris.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco.

Et fit comm. Oct. Omn. Sanct.

Die 7. Novembris.

S. Prosdocimi Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Et fit comm. Oct. Omn. Sanct.

Die 9. Novembris.

(Extra Civit. et Territ. Tergest.)

S. Justi Martyris.

Missa ut supra 2. hujus, sed sine Credo; et fit commem. S. Theodori Mart.

Die 15. Novembris.

S. Leopoldi March. Austr. Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui sanctum Leopoldum ex principatu et curis sæculi hujus immaculatum ad regnum cœlestē traduxisti: concede propitius, tua clemētia; ita nos per hęc temporalia dirigi, ut æternæ vitæ consortes effici mereamur. Per Dñm.

Evang. Homo quidam nōbilis. ut in festo S. Stephani Regis 2. Sept.

Die 17. Novembris.

Ss. Euphemie et Theclæ Virg. Mm.

Missa. Me expectaverunt. 1. loco præter Orat. ex Comm. plur. Virg. et Mart. et Epistol. De Virginitibus præceptum Dñmini. ex Missa. Vultum tuum.



Feria VI. in Parasceve.

Post Orationem pro Papa dicuntur pro reverendissimo Episcopo diœcesano sequentes Orationes.

Orémus et pro religiosissimo N. Episcopo nostro, ut Deus et Dñminus noster, qui divína miseratiōe hujus diœcēsis onus hūmeris ejus impōsuit, benignitatis suæ illi grātiā largiatur, ne ponderis magnitudine oppressus, hu-

mānæ fragilitātis imbecillitāte deficiat.

Orémus.

Ÿ. Flectāmus gēnua. R̃. Levāte.

Deus, qui licet magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosus operāris in minimis: concede famulo tuo N. Episcopo nostro religiosissimo, sacris conveniēter servīre mystēriis, atque in omnibus tua misericordia protégat, quem consciētiæ suæ reātus accūsāt. Per Dñm.

Post Orationem pro omnibus Episcopis, Presbyteris etc. dicitur Oratio pro serenissimo Imperatore.

Orémus et pro gloriosissimo Imperatore nostro N. ut Deus et Dñminus noster det illi sedium suarum assistricem sapiētiā, qua pōpulum sibi commissum gubernet in omni justitia et sanctitate ad divīnam glóriam et nostram perpētūam pacem.

Orémus.

Ÿ. Flectāmus gēnua. R̃. Levāte.

Omnipotens, sempitērne Deus, qui regnis omnibus æterna potestate domināris: respice ad Austriacum benīgus Impērium, ut et Imperātor juste imperādo, et pōpulus fidēliter obediēdo ad glóriam tui nōminis et regni tranquillitatem unānimi pietate conspīrent. Per Dñm.

Præconium paschale.

Præconium paschale: „Exsúltet“ Sabbato Sancto hac ratione concludetur:

Precāmur ergo te, Dñmine, ut nos famulos tuos omnēmque clerum et devotissimum pōpulum

una cum beatissimo Papa nostro N. et Antístite nostro N., nec non gloriosissimo Imperatøre nostro N., quíete témporum concéssa, in his Paschálibus gaúdiis assídua protectiõe régere, gubernáre et conserváre dignéris. Per Dóminum.

Collecta pro Imperatore.

Oratio.

Quæsumus omnipotens Deus, ut fámulus tuus N. Imperátor noster, qui tua miseratiõe suscepit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta, quibus decénter ornátus; vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, et ad Te, qui via, véritas et vita es, gratiósus váleat perveníre. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Múnera, Dómine, quæsumus, obláta sanctífica: ut et nobis Unigéniti tui corpus et sanguis fiant, et Imperatóri nostro ad obtinéndam ánimæ corporisque salútem, et peragéndum injúctum offícium, Te largiénte usquequáque proficiant. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Hæc, Dómine, oblátio salutáris fámulum tuum N. Imperatórem nostrum, ab ómnibus tueátur advérsis, quátenus et ecclesiásticæ pacis obtíneat tranquillitátem, et post hujus témporis decúrsum ad ætérmam pervéniat hæreditátem. Per Dóminum.

Omni superioribus formulis et precibus pro augustissimo Imperatore variatione prohibita, ex Decr. S. R. C. 10. Febr. 1860.

Concordat cum originali.

A Curia Episcopali Tergestino-Iustinopolitana S. V.

Tergesti, die 27. Februarii 1896.

(L. S.)

Dr. Ioan. Sust,
Vic. capitularis.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 11. Martii 1896.

Dr. Fr. Xav. Leitner, Vic. in Spir. Gen.

IN UNIVERSA AUSTRIÆ DITIONE

loco Orationis pro Imperatore Romano sequens dicitur pro Imperatore et Rege
juxta decis. S. R. C. 10. Febr. 1860.

In Missa Præsanctificationum Feria
VI. in Parasceve inter Orationem
pro cunctis Ordinibus et aliam pro
Catechumenis hæc pro Imperatore
dicitur:

Musical notation for the first line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

O-ré-mus et pro glo-ri-o-

Musical notation for the second line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

sís-si-mo Impe-ra-tó-re et

Musical notation for the third line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

Re-ge nostro N.: ut De-us et

Musical notation for the fourth line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

Dó-mi-nus noster det il-li sé-

Musical notation for the fifth line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

di - um su - á-rum assistrí-cem

Musical notation for the sixth line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

sa-pi - én-ti - am; qua pó - pu-

Musical notation for the seventh line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

lum si - bi commís - sum gu-

Musical notation for the first line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

bénet, in omni ju-stí-ti - a

Musical notation for the second line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

et sancti-tá-te, ad di-ví-

Musical notation for the third line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

nam gló-ri-am et nostram per-

Musical notation for the fourth line of the prayer, featuring a single note on a five-line staff.

pé-tu - am pa - cem.

Orémus.

Flectámus génua.


R̃. Leváte.

Omnípotens, sempitérne Deus,
qui regnis ómnibus æterna
potestáte domináris: réspice ad
Austriacum benígnus Impérium;
ut et Imperátor et Rex juste impe-
rándo, et pópulus fidéliter obe-
diéndó, ad glóriam Tui nóminis et
regni tranquillitátem unánimi pie-
táte conspírent. Per Dóminum.


R̃. Amen.

Præconium Paschale


Sabbato sancto hac ratione concludetur:




Pre-cámur ergo te, Dó-mi-ne:




ut nos fámulos tu-os, omnémque




cle-rum, et de-vo-tíssi-mum pó-




pu-lum: u-na cum be-a-tíssimo




Pa-pa nostro N. et Antí-




sti-te nostro N. nec non glo-




ri-o-síssimo Impe-ra-tó-re et




Re-ge nostro N. qui-é-te




tém-po-rum concés-sa, in his pa-




schá-li-bus gáudi-is, assí-du-a




pro-te-cti-ó-ne ré-ge-re, gu-




berná-re, et conservá-re di-




gné-ris. Per Dó-mi-num nostrum




Jesum Christum Fí-li-um tu-um:




Qui te-cum vi-vit et regnat in



u-ni-tá-te Spí-ri-tus Sancti



De-us: per ómni-a sæ-cu-la



sæ-cu-ló-rum. R. A-men.

Concordat cum Originali.

Ratisbonæ, die 23. Aprilis 1902.

Dr. Fr. X. Leitner, Vic. in Spirit. Gen.

Index alphabeticus.

Abundii Episc. Conf. 3. Apr.	fol. 9	Liberalis Conf. 17. Apr.	fol. 9
Adalberti Episc. Mart. 24. Apr.	10	Margaritæ de Cortona. 27. Febr.	7
Ægidii Abbatis. 9. Sept.	23	Mariz B. V. de Gratia. Dom. II. post Pascha.	10
Alexandri I. Pap. Mart. 11. Maji.	12	Mariz de Cervellone Virg. 19. Sept.	23
Apollinaris Mart. Terg. 6. Dec.	3	Mauri Mart. 29. Nov.	3
Barbaræ Virg. Mart. 4. Dec.	3	Maximiani Archiep. Rav. Conf. 21. Febr.	7
Bertrandi Patriarch. Conf. 7. Junii.	14	Maximiliani Episc. Mart. 12. Oct.	25
Blasii Episc. et Mart. 3. Febr.	4	Nazarii Episc. Just. Conf. 19. Junii.	15
Cantiani et Soc. Mm. 31. Maji.	13	Nicephori Mart. 30. Dec.	4
Chromatii Episc. Conf. 2. Dec.	3	Pantaleonis Mart. 27. Julii. A	19
Chunegundis Virg. 3. Martii.	9	Paulini Episc. Conf. 17. Febr.	6
Commemoratio Omnium Ss. Martyrum. 26. Dec.	4	Pelagii Mart. 1. Sept.	20
Commemoratio Omnium Ss. Apostolorum. 29. Junii.	15	Peregrini Latiosi Conf. 27. Apr.	10
Conradi Placent. Conf. 19. Febr.	7	Petri Acotanto Conf. 26. Aug.	19
Cordis Jesu. Fer. VI. post Oct. Ss. Corp. Christi.	15	Petri Urseoli Conf. 28. Febr.	8
Danielis Proph. Conf. 21. Julii.	17	Prosdocimi Episc. Conf. 7. Nov.	26
Divisionis duodecim Apostolorum. 15. Julii.	16	Quirini Episc. Mart. 4. Junii.	14
Elii Diaconi Conf. 18. Julii.	17	Redemptoris Ss. Dom. III. Julii.	19
Emygdii Episc. Mart. 11. Aug.	19	Reliquiarum Unit. Diœc. Dom. I. mens. Aug.	19
Euphemiz et Soc. Virg. Mart. 3. Sept.	20	Samuelis Proph. Conf. 7. Sept.	21
Euphemiz et Theclæ Virg. Mm. 17. Nov.	27	Sergii Mart. Terg. 7. Oct.	23
Eustochii Virg. 13. Febr.	5	Servuli Mart. Terg. 24. Maji.	12
Floriani Mart. 4. Maji.	12	Severini Abbatis. 12. Febr.	5
Gaudentii Episc. Conf. 1. Junii.	14	Sigismundi Mart. 15. Maji.	12
Gerardi a Sagr. Episc. Mart. 26. Sept.	23	Silvestri Abbatis Conf. 23. Dec.	4
Gregorii Barbadici Ep. Conf. 18. Junii.	14	Simeonis Prophetæ Conf. 8. Oct.	24
Hermagoræ et Fortunati Mm. 12. Julii.	15	Spiridionis Episc. Conf. 14. Dec.	3
Hilarii Episc. et Tatiani Diac. Mart. 16. Martii.	9	Titiani Episc. Conf. 1. Martii.	9
Ildephonsi Episc. Conf. 18. Febr.	6	Udalrici Episc. Conf. 4. Julii.	15
Inventio Manus S. Stephani Regis Cf. 30. Maji.	12	Ursulæ et Soc. Virg. Mm. 21. Oct.	25
Joannis Nepomuceni Mart. 16. Maji.	12	Valentini Presb. et Mart. 14. Febr.	5
Juliani Mart. 15. Febr.	6	Valeriani Episc. Conf. 27. Nov.	3
Julianæ Virg. Mart. 16. Febr.	6	Vigilii Episc. Mart. 3. Julii.	15
Justi Mart. 9. Nov.	27	Viginti sex Martyr. Japonens. 20. Febr.	7
Justi Mart. Apparitio. 27. Junii.	15	Walburgæ Virg. 26. Febr.	7
Justi Mart. Terg. Patr. Princ. 2. Nov.	25	Wolfgangi Episc. Conf. 31. Oct.	25
Justinæ Virg. Mart. 16. Oct.	25	Zenonis Episc. Mart. 15. Apr.	9
Justini Mart. 20. Apr.	10	Zenonis et Justinæ Mm. Tergest. 13. Julii.	16
Lazari Mart. Civ. Terg. Patr. 12. Apr.	9	* * *	
Lazari Resuscitati Episc. Pont. 17. Dec.	3		
Leonardi Conf. 6. Nov.	26	Feria VI. in Parasceve.	27
Leonis IX. Papæ Conf. 19. Apr.	9	Præconium Paschale.	27
Leopoldi March. Austriæ Conf. 15. Nov.	27	Collecta pro Imperatore.	28

